



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Microsynodus Norinbergen.

Mosham, Ruprecht von

[Köln]

VD16 M 6434

Disputatio Quarta D. Martini Lut.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36760

DISPVATIO

Quarta D. Martini Lut.

- 1 Nulla fuit in eēclesia pestilentior doctrina contra pœnitentiam (excepta Saducœa & Epicurga) quàm papistarum.
- 2 Hæc sustulit pœnitentiam integrā & ueram, dum non permisit certam esse remissionem peccatorum.
- 3 Docuerunt enim hominem (etiam pœnitentem) oportere esse incertum de gratia dei & remissione peccatorum.
- 4 Sed remiserunt miserum, ad meritum suę contritionis, confessionis, satisfactionis, & tandem in purgatorium.
- 5 Nec tamen modum aut finem contritionis, confessionis, satisfactionis, ne purgatorij quidem constituerunt.
- 6 Quid autem pœniteas, si incertus sis, an retineātur, ut remittantur peccata tua?
- 7 Hac ratione non docentur impœnitentes & securi incipiendam pœnitentiam.
- 8 Sed territi & incipientes pœnitere, coguntur cadere in finalem impœnitentiam.
- 9 Talibus pœnitentibus Christus nihil prodest, ut qui diffidere coguntur, an Christus pro peccatis sit mortuus.
- 10 Periculosior etiam est impœnitētia finalis & desperantium, quàm impœnitentia securorum.
- 11 Impœnitentia securorum, est contemptus dei. Impœnitentia finalis, est blasphemia in spiritum sanctum.
- 12 Cauenda igitur est doctrina papistarum de pœnitētia, sicut ipse infernus & diabolus.
- 13 Multo magis cauendi sunt, qui nullam prorsus pœnitentiam in ecclesia relinquunt.

CONCLVSIONES.

14 Qui enim legem docendam esse negant, simpliciter & reuera nullam penitentiam esse uolunt.

15 Argumentatio ista. Quicquid non est necessarium ad iustificationem, neque in principio, neque in medio, neque in fine, id non est docendum etc. nihil est.

16 Primum si interrogas, quid istæ uerborum ampullæ, principium, medium, finis, sibi uelint, inuenias nec ipsos intelligere.

17 Vt si arguas, hominem esse mortuum in peccato, non est necessarium ad iustificationem, neque in principio, neque in medio, neque in fine, ergo hoc non est docendum.

18 Parentes honorare, caste uiuere, homicidijs, adulterijs, furtis abstinere, non est necessarium ad iustificationem, ergo talia non sunt docenda.

19 Hominem debere politicæ & œconomiaë inseruire, non est necessariū ad iustificationē, ergo lex eiusmodi ē tollēda.

20 Has consequentias Sophistæ olim irridentes uocauerunt, à Baculo ad Angulum.

21 Si Syllogismus uult, Hæc non esse docenda ad iustificationem necessaria, quid noui affertur?

22 Ex hoc non sequitur, legem esse tollēdam, aut non docendam, etiam si nihil proficit ad iustificationem.

23 Falso allegatur in minore, Experiētia a Paulo & Barnabæ, p quorum ministerium, sine lege gētes sunt iustificatæ.

24 Arguit enim Paulus, oēs peccatores esse (qd officium legis est) hoc ipso, quod iustificādos esse docet in Christo.

25 Iustificādus utiq; peccator est, nondum iustus, Et non nisi ex lege peccator esse conuincitur.

26 (Sine lege) ubiq; in Paulo intelligi debet, ut August. recte exponit, Lege adiuuante, id quod semper secuti sumus.

27 Nihil enim iuuat lex ad impletionem sui, sed requirit impletionem sui.

ANTINOMICAE MARTINI LVT.

- 28 Requiritq; etiam a deo seuerè, ut Christo ipso teste, nec ociosum uerbum uelit impunitum.
- 29 Et eodem domino teste, neq; unum iota aut apex præteriri possit à lege, donec omnia fiant.
- 30 Deniq; soluendum est debitum, si nõ opponatur Christus legi exactrici, usque ad nouissimum quadrantem.
- 31 Non facit gratia & remissio peccatorum securos de peccato, ne forte, ac lege, quasi amplius sint nihil.
- 32 Sed multo magis diligentes & sollicitos, ut per Christum Saluatorem ea quotidie uincamus.
- 33 Lex enim nulla nostra necessitate, sed de facto iam inuitis nobis adest, ante & in principio, medio, fine & post iustificationem.
- 34 Vult em̃ ab initio peccati per Adam perpetrati, usque quo per Christum uictorem impleatur, doceri, nosci & agnare.
- 35 Sola uero fides in Christo iustificat, sola implet legem, sola facit opera bona, sine lege.
- 36 Sola enim accipit remissionem peccatorum, & sponte facit opera bona per charitatem.
- 37 Verum est, post iustificationem sponte sequi bona opera, sine lege, scilicet, iuuante nec iam extorquente.
- 38 Summa. Lex non est utilis nec necessaria, neque ad iustificationem, neque ad ulla opera bona, multo minus ad salutem.
- 39 Sed e contra iustificatio, bona opera & salus, sunt necessaria ad legis impletionem.
- 40 Venit enim Christus saluum facere, quod perierat, & ad restitutionem omnium, Vt Petrus dicit.
- 41 Quare non tollitur per Christum lex, sed restituitur, ut fiat Adam, talis qualis fuit, & etiam melior.